Al Chiariss.o Sig.r Cav.re Franc.o M.a Avelli
Accademico della Crusca ec. ec.
L'autore

DIDACI VITRIOLI

DISSERTATIO

DIDACI VITRIOLI REGINI

DE JVNONE LACINIA

DISSERTATIO

QVA TEMPLVM CELEBERRIMVM IN CROTONIENSI
AGRO OLIM POSITVM INLVSTRATVR

Sed tamen exiguo quodcumque in pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Propert.



NEAPOLI
EX TYPIS NIC. WANSPANDOCHII
1842

Lectori Candido

S.

Longius huic opellae praefari non placet, Candide Lector, ut consilii mei rationem in ea concinnanda, evulgandaque significem; scilicet patriarum amor antiquitatum, cui ab ineunte aetate plus aequo studiosus indulsi, stimulos addidit, excitavitque. Praeclare enim Tullius: ,, Rudem... esse omnino in nostris ... aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. ,, Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. ,,

Quo in labore nonnihil e nostratum operibus profecisse fateor; quis enim se aliquid omnino novi speret allaturum in tanta eruditorum copia, qui

in patriis illustrandis antiquitatibus operam posuere ?

Verior fortasse ingenii nostri laus fuerit, quae illi carptim ac disperse tractaverant in unum corpus collegisse. Hoc unum te rogo, ut si quid sentias desiderari, id non negligentiae, sed aetati tribuas auctoris, qui vicesimum annum vix egressus liberalissimis hisce studiis, quae diu intermortua apud nos, nova nunc spe recreantur, impense favet. Quam meam industriam si nostratibus probari sensero, majora in dies adgrediar, quo patriam hanc meam literarum caussa, etiam atque etiam demerear.

Synopsis

I. De variis Junonis nominibus apud veteres. II. Laciniae appellatio unde derivata. III. De Junonis Laciniae templo, ejusque situ, amplitudine, magnificentia plura attinguntur. IV. Locus Pausaniae corruptus restituitur. V. Fano inlata detrimenta, VI. ejusdemque rudera describuntur.

I. De Junonis Laciniæ templo disserturus, quo nescio an aliud apud veteres Magnæ Græciæ cultores magis fuerit celebratum, haud abs re factum existimo, nonulla prius de variis hujusce Deæ nominibus delibare. Inde enim quanta lux toti operi sit obventura facile legentibus innotescet, ita tamen si paucis rem expediam, ne quis illud objiciat Venusini:

. . . gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Junoni, uti et cæteris diis diversa fuere appellationum genera antiquitus comparata, tum a regioni-

bus, quæ potiore præ reliquis cultu eam prosequebantur, tum vero aliis de causis.

Ac primum quidem Juno *Magna*, aut *Maxima* cognominata, unde Virgilius cecinit:

Junoni magnæ primum prece numen adora.

Et alibi: . . . Tibi enim, tibi maxima Juno
Mactat sacra ferens.

Sed et *Reginæ* nomen adepta: Jovi enim deorum hominumque regi conjugali foedere devinctam finxit antiquitas. Quare apud eumdem loquens inducitur:

Ast ego, quæ divum incedo regina . . .

Opigena, et *Egeria* Juno a mulieribus colebatur, quod ab ea, testante Festo, in egerendo partu opem potissimum præstolabantur.

Tropæam Junonem Lycophron noster appellat, quippe cui tropæa dicarentur in bello a victoribus, perinde ac Juppiter Trophæus et Tropæucus non semel dictus occurrit.

Zeuxidia Juno Argis culta, quo ex Ægypto Apis rex olim commigraverat, seminandique ignotam antea invexerat rationem; quod quum junctis bobus effecisset, Junoni Zeuxidiæ ex re templum dedicavit.

Adde *Populonam*, vel *Populoniam*, quam scilicet populus, seu verius plebs impense venerabatur. De ea loquitur Macrobius in tertio Saturnalium.

Αἰγοφάγος Ἥρα, *caprivora* Juno a Lacædemoniis

excoli cœpta est. Huic inter solemnia capras mactari solitas, Pausanias memoriæ prodidit.

Γαμηλία Ἥρα, idest *nuptialis*, cujus mentionem injicit Eusebius in Præparat. evang. nuptiis præerat, unde et τέλειαν græci dixere, apud quos, teste Polluce, matrimonium τέλειος audivit Λευκώλενος Ἥρα, de qua Hesiodus in Theogonia, inde id nomen obtinuit, quod albas ulnas, lacertosque candidos haberet.

Curis etiam a Romanis nuncupata, voce a Sabinis deducta, queis hasta *curis* dicebatur.

Denique *Feroniæ* nomen, si fides Servio, a Circejis Rutulisque, Italiæ populis accepit. (1)

Age nunc topographica, ita dixerim, Junonis cognomenta exequamur.

Gabinam Virgilius appellat in VII. Æneid. quod eam Gabini non vulgari religione prosequerentur :

> . . . quique, inquit, arva Gabinæ
> Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
> Hernica saxa colunt.

(1) Ex hoc genere sunt : Juno Fluonia, Europia, Parthenos, Anthia; tum haec vel tironibus notissima nomina: Lucina, Natalis, Domiduca, Interduca, Iuga, Pronuba, Cinxia, Socigena, Moneta, Sospita, Matuta, Novella, Caprotina, Februalis, Unxia, Martialis. Sed singula heic persequi longe majoris est operis, quam ut per temporis angustias liceat.

Adhæc *Argiva* ab Argis vocata, qua in urbe Ἡραῖα, sive Junonis sacra solemni ritu fiebant. Plerisque eadem fuisse videtur, quæ a Propertio lib. II. Pelasga appellatur :

An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ.

Samia Juno a Samo insula nomen sortita, ubi templum hujus deæ inclytum nobilitate ac divitiis fuit, et quidem in Sami parva quadam regione Ipnusia nuncupata, unde Ipnusia Juno sæpe memoratur. Quin immo ab Imbro ejusdem regionis insula, Apollonius Junonem Imbrasiam vocat :

ἠδ' Ἰμβρασίης ἕδος Ἥρης . . .

Prosymnam dixere veteres ab urbe cognomine argolicæ regionis, de qua cecinit Statius :

Hinc celsæ Junonia templa Prosymnæ.

Cithæroniam Junonem sæpenumero apud Plutarchum reperies.

Dicta quoque *Dirphya*, et *Rhescynthis* a duobus montibus, quorum alter in Eubœa, alter in Thracia fuit.

Pharygææ cognomen a Pharyge Locridos urbe derivandum dilucide eruitur e Strabone.

Postremo *Candrenæ* nomenclaturam desumpsit a Candara Paphlagoniæ oppido, ut innuit Stephanus.

(2) Verum age ad *Laciniam* nostram veniamus.

II. Haud longe a Crotone florentissima olim urbe, et inter eximia Magnæ Græciæ ornamenta numerata (3), tellus longo tractu in mare procurrens, promontorii speciem quodammodo exhibet: huic *Lacinii* nomen quæsivit antiquitas. De eo ita Plinius » A Lacinio promontorio secundus Europæ sinus incipit, magno ambitu flexus, et Acroceraunio Epiri finitur promontorio ». Neque ab eo dissentiunt Pomponius Mela, et Ptolomæus. Idem ab Dioscorum, sive Castorum insula adjacente, quam Plinius decem millia passuum a terra abfuisse significat, non raro *Διοσχουριάς ἄχρα*, nempe promontorium Dioscurias nuncupatum. Nec absimili ratione *αχρωτήριον Κροτωνος*, promontorium Crotonis placuit denominari, siquidem; ut modo innuimus, paullum a Crotoniensi oppido di-

[2] His addenda: Juno Romana, Lanuvina, Hoplosmia, Alea, Acrea, Brumaea, Ammonia, Tethla, Cypra, Telchinia. Praeterea elicitur e Pausania, Juno Heniocha, Hyperchiria, Nymphevomene, Olympia, Prodomia, Telea; quae sane nomina Gyraldi Lilii diligentiam effugerunt. Verum de omnibus hisce nomenclaturis, vide sis : Dict. Histor. Moreri, Gyrald. Lil. de diis gent. Bimard dissert. de diis ignot. et Nat. Comitis Mitholog.

[3] » Sicuti Roma per excellentiam Urbs vocabatur, aliaeque clarissimae civitates in eumdem modum, sic Croto *κατ᾽ ἐξοχήν* *Korta*, idest urbs ab Iapygibus conditoribus ex Chananaea profugis voçata fuit. » Mazoch. in Tabb. Heracl.

stabat: ejusmodi est illud Suidæ » Λακίνιον, ὄρος Κρότωνος, Lacinium, Crotonis mons. Quoniam vero, quo de agimus promontorium unum erat e duobus veluti brachiis, quibus tarentinus sinus continebatur, vide sis quam apposite Lycophron poeta sinum Lacinii appellaverit:

Ἥξει δὲ Σῖριν, καὶ Λακινίους μυχούς.
Sirimque adibit, et Lacinios sinus. (4)

Tandem ex alio ejusdem Lycophronis loco, ubi a Jove laciniam regionem Junoni attributam fuisse perhibetur, non inepte conjici nostratibus visum est Lacinium promontorium Stortingæ, seu Cavaminis cognomento fuisse insignitum.

. . . quando Deæ Deus
Terræ magnam Stortingam donavit condere.

E re heic fuerit mollissimos Theocriti versus exhibere, a quo ita (Eidill. 4.) Corydon pastor de lacinio promontorio canens inducitur:

[4] Omnes codd. habent Λακινιου μυχους, at doctissimus Mazochius, Tabb. Heracl. p. 67, Λακινιους μυχους, Lacinios sinus ex Stephano emendavit. Quod ad Dioscoron insulam attinet superius memoratam, libet monere eam a Scylace p. 5. Διοσκουρων vocari. Ibi nunc sunt tantum scopuli, ubi olim haec, atque altera insula Calypsus extiterat, Homeri, et Fénèlon ingeniis clarissima. Inde patet quantum ab Homeri et Plinii temporibus immutata fuerit in his locis naturae facies.

Αἰνέω ταν τε Κροτωνα καλα πόλις ἅτε Ζάκυνθος,
Καί το ποταῶον το Λακίνιον, ἅ ὥπερ ὁ πυκτας
Αἴγων ὀγδωκοντα μονος κατεδαῖσατο μάσδας.
Τηνεί καί τον ταῦρον ἀπ'ωρεος αγ̃ε πιάσξ
Τας ὀπλας, κηδωκ' Αμαρυλλίδι ταί δε γυναῖκες
Μακρον αναυσαν χ'ὠ βωκολος εξεγελασεν.

Denique in transitu moneo, hoc esse promontorium, quod Philocaris tarentinus, veterum quorumdam fœderum illata mentione, negabat fas esse Romanis præternavigare. (Freinshem. in Suppl. Liv.) Superest nunc pervidere, undenam promontorio, atque inclytæ Junonis ædi ibidem excitatæ Lacinii nomen adhæserit. Verum, quod ad etymon attinet, ut in rebus nimia vetustate obliteratis, varie sensum est ab eruditis, quorum sententias, sic paucis comprehendit Servius (ad Æneid. III. v. 552.) » Junonis Laciniæ templum, secundum quosdam a rege conditore dictum, secundum alios a latrone Lacino, quem illic Hercules occidit, et hoc loco expiato, Junoni templum constituit. » Hinc viri docti in duas partes abiere: quidam a Lacinio rege derivandum censent, a quo hoc ipso in loco Junoni fanum fuerat inauguratum. Plurimi eo concessere ut dicerent, a Laceno, seu Lacinio latrone originem duxisse, quem Alcides

ante Trojæ casum interemerat, quod extremam hanc Italiæ oram infestaret, bovesque nonullas ejusdem e gregibus abegisset; fertur enim: (Ovid. Met. XV.)

Dives ab Oceano, bubus Jove natus iberis,
Litora felici tenuisse lacinia cursu. (5)

Huic sententiæ e recentioribus inhæsit præter alios Conradus Gesnerus (Onomast. propr. nom.), ita scribens: » Lacinium promontorium est Bruttiorum... in extrema Italiæ ora a Lacino latrone ibidem ab Hercule sublato dictum » Tum etiam Boccacius in sua deorum Theogonia, lib. XIII. ubi hæc affert: Ammazzò (Ercole) Lacinio ladrone, che dava noja con

(5) Jove natus, scilicet Hercules: divitem vocat, quod harum rerum genere, idest numerosis gregibus tota tunc ferme pecunia contineretur. Jam boves iberi erant greges Geryonis in Hispania ab Hercule interempti, prope cujus sepulchrum erat etiam Junonis ara, templumque. Vid. Pomp. Mela lib. III. tum Dionys. Halic. I. 39-44, qui res ab eodem Hercule in Italia gestas et fabulose narrat, et ad fidem historicam interpretari conatur. Quod autem ad Lacinii etymon spectat, singularis est opinio Interpretis Theocriti, qui a Lacinio quodam Corcireo promontorii nomen esse arcessendum arbitratur, quod Crotonem hominem fugientem hospitio susceperit. Atque is quidem Croto Lacinii hospitis sui beneficii memor, hujus nomine promontorium appellavit, et Lauram Lacinii filiam duxit uxorem, a qua Lauretae oppido cognomen inditum, quod per haec loca olim fuisse scimus.

assassinamenti all' ultima parte dell' Italia, et a Giunone edificò un tempio, chiamato di Giunone Lacinia. Nobis, si quid inter tantos viros conjectare licet, ea sedet opinio, ejusmodi nomen non aliunde, quam a græco verbo λακὶς, *scissura* derivari; id enim promontorium octo millia passuum in mare protenditur. Re vera vox adjectiva est, unde Lacinia Juno apud Tullium, ac Plinium, Lacinia litora apud Ovidium, Diva Lacinia apud Virgilium. Quam recte vero Lacinii nomen impositum, vox una significat, *lacinia* enim nil aliud sonat italice, nisi: *frangia*, *cerro*, *frastaglio*, *balzana*, diciturque proprie de fimbriis, sive segmentis, quæ ad extremas vestium oras assui mos est, a verbo λάκω, *lancino*, *lacero*, *scindo*. Hinc ducta similitudine de aliis rebus scriptores usurpare consueverunt, quæ veluti segmentum a reliquo corpore dependent, aut prominent. Ac ne porro de hujusmodi originatione ullus sit contra hiscendi locus, suppetias feret Plinius (Nat. Hist. lib. V. 43.), ubi loquens de promontorio quodam, in quo Megarice oppidum fuit, hodie, *capo Fagona*, ait: » Craspedites sinum vocari, quoniam id oppidum veluti *laciniâ* erat » *come in una lingua di terra*. Est autem græcis κράσπεδον, quod latinis fimbria, sive lacinia; translate vero, prout monet Harduinus, tum littoris margo, tum veluti limbi, et extremæ montium oræ ac radices κράσπεδα

appellantur, ea modo de causa, quod hæc omnia ad laciniarum figuram accedant. Nihil certe Plinii verbis clarius ad rem omnem explicandam fieri potuit. Ex modo dictis prono alveo fluit, non promontorio a templo, huic contra e loco, ubi conditum erat, cognomentum adquisitum, solemni apud veteres more, sacras deorum ædes regionum, in quibus excitabantur nomine designandi. Igitur Crotoniatæ, quos diserte Isacius templi conditores appellat, aut saltem, quicumque ii demum fuerint, regionis hujus incolæ, delubro in Junonis honorem constituto, Laciniam a loci natura vocare maluerunt. Atque hæc de lacinio promontorio dixisse sufficiat, nunc ad templi inlustrationem convertatur oratio. (6)

III. Sacram Junonis ædem ad septenptrionale promontorii latus fuisse, facile eruitur ex Diodoro Siculo, qui navigationem præter hoc litus a Tarento ad Regium describens in hæc verba loquitur: Λαβόντες

[6] De lacinio promontorio praeter Ptolomaeum, et Pomponium Melam, confer etiam Plin. lib. III. 6. 15. 16. Strab. VI. Cellar. Not. Orbis. Antiq. II. 11. Cluv. Ital. Antiq. IV. — Conradus Gesnerus in Onomast. propr. nom. ait » Lacinium Italiae promontorium . . . gentile, lacinius, et foeminile lacinia, et regio lacinias, unde laciniates » In Plinii lib. III. 25. inter caeteras Liburnorum civitates, memorantur nescio qni Lacinienses, quorum nomen ab Laciniatibus nostris non multum abhorret.

ἀγοράν παρά τῶν Κροτωνιατων, της τε Λακινίας Ἥρας ἱερόν παράπλευσαν, καί τήν Διοσκουριάδα καλουμένην ἄκραν ὑπερέθεντο, idest: » Rerum venalium foro a Crotoniensibus præbito, Laciniæ Junonis templum prætervecti sunt, promontoriumque Dioscoriadem transiverunt ». Diodoro adsensit Livius in lib. XXIV, quem locum non multo post producemus, et sex millium intervallum Crotonem inter templumque constituit. Nisi quod Strabo exquisitissimæ diligentiæ geographus, pro sex millibus passuum, sive XLVIII stadiis, habet CL. stadia: hinc merito Gronovius suspicabatur, Strabonem ἐν πεντήκοντα, καὶ ά σταδίοις, vel Livium XVIII millia scripsisse, aut saltem ita hæc esse concilianda, ut ille maritimum iter, quod circumvectio redderet longius, hic terrestre designaverit. Plane Dionysius Afer in libello de situ Orbis, ad Æsari litus, a quo urbs ipsa Croto alluitur, templum collocat:

> Ἱμερτὸν πτολίεθρον ἐυστεφάνοιο Κρότωνος,
> Ναιόμενον χαρίεντος ἐπ' Αἰσαρου προχοῆσιν
> Ἔνθάκεν αἰπύν ἴδοιο λακινιάδος δόμον Ἥρας

Heic igitur fanum longe pulcherrimum adsurgebat in illo finitimi maris patentissimo conspectu, ut a navigantibus perspici facile posset. Itaque cecinit Maro: (Æneid. III. 552.)

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur, adtollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylacœum.

Tum Ovidius (Met. XV.), de Æsculapio Romam advecto:

. . . præterque lacinia templo
Nobilitata deæ, scylacæaque litora fertur.

Riedeselius in suo Itinere per Magnam Græciam, et Siciliam, tradit: fanum Laciniæ, perinde ac templa, quæ Agrigenti, et Pœsti, nostra adhuc ætate visuntur, dorici operis fuisse (7), quadrata figura, ita ut ejusdem latitudo sex et sexaginta passus, longitudo vero centum triginta duo patesceret. Atque id quidem ex vulgato fere apud Grajos instituto factum ; qui in templorum area dimetienda in illud maxime, quod refert Vitruvius III. 3, curam intendebant, ut longitudo duplo major latitudine protenderetur. Hujus nostri templi parietes, singulari structuræ ratione, alterno lapidum, laterumque ordine constabant, nimirum extremam lapidum seriem, quæ solo conjuncta erat, altitudine ferme septem palmorum cum dimidio, lateritium opus excipiebat, quod exurgeretne usque ad tecti contignationem, an altera lapidum

[7] Dorici quoque operis fuit templum Samiae Junonis, de quo plura Theodorus in Vitruv. praefat. lib. VII.

compages interponeretur, non facile est divinare. Nemo tamen ambigerit, quin illud ad templi fastigium fuerit porrectum, si quidem ea una causa suberat, qua permotus artifex, hanc in extruendis parietibus rationem iniret, uti scilicet parietes ipsi quam minimo pondere laborarent.

Jam, quod ad lateres attinet, ita conformatos fuisse significat Riedeselius, ut retis speciem præberent, quod sane opus *reticulatum* veteres vocitaverunt. Cum vero moneat architectonices magister, (Vitruv. II. 8) hujusmodi moles plerumque non bene firmas ac solidatas consistere, tamen plura supersunt antiqua ædificia opere reticulato extructa, quæ vetustatem ad id temporis felicissime ferunt; cujusmodi sunt: Mœcenatis villa, quam vocant, atque Herculei templi rudera in tiburtina regione, tum vero Lucullanæ villæ, quæ adhuc Tusculi prostant, relliquiæ. Ea porro erat Junoniæ ædis positio, qualem in omnibus fere a græcis conditis delubris fuisse constat, ut frons quidem templi ad orientem, aditus autem ad occidentalem plagam respiceret. Jam vero eius area elatior aliquanto fuit, ut propterea per quatuor gradus eo scanderetur, quot etiam Agrigenti in Junonis, et Concordiæ templis numerantur. Atque heic de gradibus, priscas deorum ædes ambientibus, obiter notasse proderit, altiores eos, quam qui hodie in christianis ecclesiis

occurrunt, extitisse; quin et Poestanum quoddam delubrum gradibus miræ altitudinis instructum est, neque iis humiliores, qui in agrigentino templo, Theseique fano Athenis condito supersunt. Re vera gradus, de quibus sermo est, plerumque ad considendum unice erant comparati, quum deorum ædes ingenti confluentis populi multitudini capiendæ, quandoque impares esse viderentur. Luculenta sunt de ea re scriptorum testimonia. Tradit Pausanias, in domo quadam non longe a Delphis, gradus extitisse, queis Phocidos legati insidentes conciones habebant; Cicero quoque (ad Att. IV. 1.) meminit cujusdam templi ad portam Capenam, in cujus gradibus populus adsidere solitus erat. At Laciniæ nostræ fanum singulare quiddam habuit: etenim præter gradus, quibus exterior delubri ambitus præcingebatur, quatuor quoque intus extabant, per quos quisque facili descensu a templi limine ad ejusdem pavimentum deveniret. Cæterum ejus magnificentia atque splendor inde adparent, quod amplissimo romanæ urbis templo, idest Fortunæ Equestris fuerit duplo majus. Quum enim censor Fulvius Flaccus delubro modo memoratæ deæ, quod Romæ fieri magno sumptu curabat, tectum vellet imponere, dimidiam tegularum partem ex Laciniæ fano detraxit, ratus id satis superque fore ad novum illud opus operiundum, quæ res uberem mox nobis disse-

rendi materiam suppeditabit. Quanta autem fuerit Crotoniensium in Junonem pietas ac relligio, diserte declarant Livius et Cicero, qui templum hoc nobile, augustissimum, sanctum omnibus circa populis vocant, atque ab eis religiosissime cultum testantur, (8) tum vero etiam cusi a Crotoniatis nummi. Sane Laciniæ nostræ effigiem agnoscit Flos (Cal. III. fol.324) in duobus numismatibus, numeris VIII, et IX. ab eo designatis, quorum in altero quidem muliebris facies cum Herculea clava insculpta reperitur, alterum vero galeatum caput, vultumque pariter foeminile præ se fert. Hæc tamen, quæ a Marafiotio desumpsisse Flos asserit, quæque nos in opellæ hujus fronte describenda curavimus, desiderantur apud Mignonium in Brutt. Numismat. — Jam non unum de hoc templo prodigiorum genus, ut plerumque insignioribus locis accidisse comperimus, ethnici evulgarunt, quæ res ne cui forte mira videatur, haud difficulter id totum sacerdotum opera fieri potuit, quo religione obstrictos haberent multitudinis animos. » Fama est, ait Livius, aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem nullus unquam moveat ventus » (9) Plinius quoque (lib. II. 101.)

[8] » Sex millia aberat ab urbe nobile templum [ipsa urbe erat nobilius] Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. » Liv. lib. XXIV. 3.

]9] Fuisse hanc aram Crotone liquet etiam a Dionys. Perieg.

verba faciens de phaenomenis vulcanicis, scribit: » In Laciniæ Junonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse perflantibus undique procellis. » Hoc vero ad vulcania phaenomena minime pertinet, et inter sacerdotum ethnicorum commenta referendum videtur; forsan et a Plinii instituto aliena erat hujusmodi superstitionis mentio. Quin et ipse Tullius in primo libro de Divinatione, cap. 24, nescio quid miraculi genus obiicit: præstat æloquentiæ patrem audire ita narrantem: » Redeamus ad somnia. Hannibalem, Cœlius scribit, quum columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse; quumque solidam invenisset, statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere, ne id faceret, minarique si fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, et eam in summa columna collocavisse †» Putida hæc quidem commenta, et cuique excultiori viro derisui habenda, at ethnicorum animos

v. 371. tum a Valerio Maximo, lib. I. 8. ubi ita loquitur: » Quapropter Crotone in templo Junonis Laciniae aram ad omnes ventos immobili cinere donaverit potissimum natura. »
† Vid. etiam Serv. ad Aen. III. 552.

mirifice permovebant ; haud mirum propterea si præ cæteris Magnæ Græciæ delubris, nobilissimum extiterit lacinium, magnaque hominum frequentia quotidie celebratum. Quod maxime fiebat festo die dedicationis, quæ græca voce *panegyris* audivit, idest : conventus universalis, solemnitas, coetus, ex πᾶς, et ἄγυρις, congregatio, quod quasi ab ἀγείρω, congrego. Tum enim non ex Italia solum, sed et a proxima Sicilia, Græciæque transmarinæ regionibus ingens populi multitudo conveniebat, eo quidem animo, ut grates numini agerentur, vel ut ab eo auxilium expeteretur, riteque ac pie sacrificarent. Sane variis sacrarum rerum curationibus quamplurimi in hac æde sacerdotes erant mancipati, sapientia in primis præstantes, quorum qui principem locum obtinebat, nova prorsus consuetudine Junoni super clypeo quodam sacra facere suevisse testis est Isacius. Ut reliqua, quæ de hoc templo perlustranda sunt absolvamus, memorabilis est locus Livii (lib. XXIV. 3.) » Lucus ibi frequenti sylva, et proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta, et sacrata est: inclytumque templum divitiis etiam, non tantum sanctitate fuit. »

Mos equidem sacra deorum delubra lucis nemoribusque ambiendi pervetustus fuit, et ab orientis regionibus repetendus. Non hæic in re notissima congerendis exemplis immorabor, satis habeo unum commemorare, templum scilicet celeberrimum Iovis Hammonis in Lybia, inter vastas solitudines situm, quod ut nostrum abjegnis arboribus, palmis et oleis undique septum erat: *κατάπλεως ἐστιν ἡμέρων δένδρων, ἐλαιῶν, καὶ φοινίκων.* (Arrian. III. 161.) Neque de Junonis lucis infrequens priscis scriptoribus mentio. Ita apud Ovidium, Fast. II:

Monte sub Esquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.

Ejusmodi nemus, ut alia prætercam, in Lesbo insula extitisse, habes ex Anthologia I. 67. 12.

Junonis magnæ in lucum properate, puellæ
Lesbides, o molli, candida turba, pede;
Pulcher ubi divæ saliet chorus etc.

Itidem Nuceriæ in Italia, rem tradente Plinio: (XVI. 57.) » Factum hoc populi romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriæ *in luco Junonis*, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat etc. Adhæc ut modo laudatis Livii verbis lumen accedat, monere libet, haud insolens fuisse veteribus populis, sacrum pecus, unde victimæ dîs mactandæ seligebantur, intactum relinquere, uti compertum est e Frein-

shemii supplementis ad Livium (lib. XCVIII. 33.), ubi narratur, in ea regione, qua Cappadocia ab Armenia disjungitur, Persicæ Dianæ sacrum armentum, peculiari nota insigne, et humanis usibus exemptum fuisse; inde demum, quum sacrificii tempus adventasset, plerumque non sine magno labore victimam ministri capiebant. Quin Julius Cæsar vel ipsos equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone consecraverat, sine custode vagari patiebatur. (idem Freinshem. suppl. Liv. LXXXI. 46.) Jam Laciniæ fanum ditissimum præ reliquis Græciæ Magnæ delubris fuisse, præter Livium, discimus e Strabone (10): *το Λακίνιον Η῞ρας ἱερον πλουσιον ποτε ὑπαρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστον.* » Lacinium Junonis templum, superiori ætate locupletissimum, donisque frequentissimis plenum. » Inter quæ dona illud in primis Crotoniensium matronarum eminuit, quod memorat Justinus. (lib. XX.) Is enarrato Pythagoræ adventu in urbem Crotonem (11), ejus-

(10) En integrum Strabonis locum: Μετα δε ταυτα το Λακινιον Ηρας ιερον πλουσιον ποτε υπαρξαν, και πολλων αναθηματων μεστον. Τα διαρματα δ'ουκ ευκρινως λεγεσθαι πλην ωστε γε επιτοπολυ σταδιους απο πορθμου μεχρι Λακινιου Πολυβιος αποδιδωσι δισχιλιους και τ. εντευθεν δε και διαρμα εις ακραν Ιαπυγιαν ‡. τουτο μεν ο'υν στομα λεγουσι του Ταραντινου κολπου, etc. Strab. lib. VI. p. 401, edit. Casaub.

[11] Crotoniatae, ut ait Barrius, Pythagoram rogarunt ut se-

demque philosophicis concionibus, quo cives luxuriæ deditos ad bonam frugem revocaret, ita prosequitur: « Docebat nunc has pudicitiam et obsequia in viros, nunc illos modestiam, et literarum studium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consequutusque assiduitate disputationum erat, ut matronæ auratas vestes, cæteraque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in *Junonis aedem*, ipsi deæ consecrarent. » Præterea Crotonienses, quo majus Laciniæ templo decus compararetur, picturis exornare statuerunt: igitur Zeuxin Heracleotem, qui totam Græciam nominis sui magnitudine compleverat,

paratim et ad filios suos in Pytheo, et ad uxores in Junonis templo verba faceret; de qua re audi Johan. Bapt. Capass. in Hist. philos: » In hac . . . civitate sede sibi electa, quatuor ibi primum orationes habuit, ad senatores scilicet, ad juvenes, ad pueros, et ad mulieres, quibus praeter caetera praecepit, ut plus viros suos, quam parentes diligerent . . . Pretiosis insuper vestibus abstinendum eis suasit, easque ut Junoni sacrarent praecepit, quod et omnes fecerunt, auratas vestes, ornamentaque lasciviora huic deae consecrando. » Ad adventum autem Pythagorae in Italiam quod attinet, tametsi, veteres etiam scriptores sibi non constent, aliis Olympiade 60, aliis 61, aut 62 illum fingentibus; satis tamen est advertere, diserte a Tullio, et a Gellio, Tarquinio Superbo regnum obtinente, Pythagoram in Italiam adpulisse traditum.

delegere, cujus ope tam eximiæ picturæ fani parietes decorarunt, ut in summa vetustate, servato colorum nitore, recentes adhuc Ciceronis ævo viderentur. (12) Ita plane cum Samia Junone actum: ejus enim vetustissimum delubrum tam magno pictarum tabularum numero refertum prodit Strabo, ut vere a græcis πινα. κοδῆκη haberetur: Τό ἡρᾶιον αρχαῖον ιερον, καὶ νεὼς μέγας, ὅς νῦν πινακοθῆκη ἔστι χωρὶς δὲ τους πλήθους τῶν ἐνταῦθα κειμενων πινάκων, ἄλλαι πινακοθῆκαι, καὶ ναίσκοι τινές ἐισι, πλήρεις τῶν ἀρχαίων τεχνῶν. Idest: Hæreum antiquum fanum, et ædes, quæ nunc tabularum armarium est. Sed præter tabularum multitudinem, quæ hic sunt, alia armaria et sacella antiquis artibus plena ». (Strab. XIV.) Neque græci dumtaxat, verum etiam romani græcanicum artificum opera uti consueverunt, quo in sacris deorum ædibus aliquam narrationem e mythologia ductam scalpro, aut coloribus repræsentarent; atque id quidem cum in ipsa urbe, tum in exiguis romani imperii oppidis factitatum. Ita prorsus Ardeæ, non longe ab Roma, Junonis templum prope litoris oram ædificatum picturis exornavit servus quidam La-

[12] Confer Dionys. Halic. in Cens. Script. graec. Floruit Zeuxis CCCC. circiter ante Chr. annis; Cicero autem natus est an. 106, atque adolescens adhuc libros de Rethorica, ubi hoc narrat, conscripsit.

cædemoniorum fugitivus, uti refert inscriptio apud Gruterum, quæ sic habet:

DIGNE · DOCTILOQVEIS
PICTVREIS · CONDECORAVIT · REGINÆ · JVNONI · SVPREMI
CONJVGI · TEMPLVM · MARCVS · LVDIVS · ELOTAS · ÆTOLIA
ORIVNDVS · QVEM · NVNC · ET · POST · SEMPER · OB · ARTEM
HANC · ARDEA · LAVDAT·

Liceat hic, quamvis a re proposita alienum videatur, animadvertere, varias de pictis imaginibus eruditorum fuisse sententias, utrum scilicet in templis adorantium cultui proponerentur, an ad parietum ornamentum, uti censet Cl. Winkelmannus in eam adductus opinionem, quod ex tot tabulis pictis celebriorum vetustæ ætatis artificum a Pausania, Plinioque memoratis, nullam ferme reperies, quam populus divino honore prosequeretur, una tantum excepta, cujus meminit Philo (de virt. et legat. ad Cajum.) At Castus Innocens Ansaldus, Taurinensis olim Athenei lumen et ornamentum, in sua » De sacro et publico apud ethnicos pictarum tabularum cultu » dissertatione, totus est in demonstrando, pictas imagines græcis æque ac latinis cultu publico fuisse donatas ; quam sententiam doctissimus vir mirifice firmavit : Sacrarum primum Scripturarum testimoniis : deinde latinorum græcorumque Patrum auctoritate, quorum

plerique idolatriæ originem picturæ asseruere : tum locis ipsorum ethnicæ gentis scriptorum : postremo nonullas deorum imagines recensendo ab antiquis cultas, quarum in veterum monumentis extat memoria— Sed ego sane prolixior: ut igitur ad Zeuxin revertar, inter cætera graphicæ artis opera in Laciniæ fano elaborata, nobilis ea fertur Helenæ tabula, in qua summus artifex muliebrem speciem sic expressit, ut mira formarum pulchritudine captus Nichomacus (13) pictor , in eaque defixus , homini nescio cui insuetam rem admiranti, secus, diceret, sentires, si oculis meis hanc ipsam Helenam conspicere per fata licuisset : cape , quæso , et divam vidisse putabis. Quin ipse Zeuxis vulgi judicium de tam præclaro opere non expectandum putavit , at protinus imagini hos Homeri versus affinxit: (Iliad. y.)

Οὐ νέμεσις Τρῶας τε, καὶ ευκνημίδας Ἀχαιοὺς
Τοιῆ δ'ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεῆς εἰς ὦπα ἔοικεν.

[13] Sic vocat Plutarchus in tract. Amor. apud Stobaeum , serm. 61. Ælianus Var. Hist. lib. XIV. 47. paullo aliter rem enarrat , pictoremque Nicostratum appellat. Caeterum ejusdem Zeuxidis Helena [fueritne haec an alia non constat.] Romae cernebatur, de qua Plinius: » *Zeuxidis manu Romae Helena est in Philippi porticibus.* » Hist. Nat. XXXV. 36. Vid. Meurs. lib. VI. 19. Lect. Att.

Haud turpe est Troas, fulgentique ære Pelasgos
Conjuge pro tali diuturnos ferre labores
Æternis facies nimis est æquanda deabus.

» Adeo, ut verbis utar Valerii Maximi, (lib. III. 7.) dexteræ suæ multum pictor arrogavit, ut ea tantum forma comprehensum crederet, quantum aut Læda cœlesti partu edere, aut Homerus divino ingenio exprimere potuit.» Qua quidem in re, quoniam Tullius multa scitu digna commemorat, ipsum audi fusius aliquanto disserentem: » Crotoniatæ quondam quum florerent omnibus copiis, et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno prætio conductum adhibuerunt. Is et cæteras complures tabulas pinxit, quarum nonulla pars usque ad nostram memoriam propter fani relligionem remansit: et ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in se imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit; quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quæsivit ab eis,

quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum, viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt.

Quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur: horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare, qua sint illæ dignitate, potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tum Crotoniatæ, publico de consilio, virgines unum in locum conduxerunt, et pictori quas vellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quod ejus essent iudicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit, omnia quæ quæreret ad venustatem uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expedivit. » (de Inv. II. 1.) Atque heic Plinius a nostratibus erroris insimulatur, quod posterum memoriæ tradiderit, Zeuxin Agrigentinis in Sicilia tabulam, qua de agimus,

IV. Erat in æde lacinia Astyli crotoniensis statua, quam Pythagoras reginus effinxerat, sculptorum sui temporis facile princeps (15). Atque heic ipse magnam profecto ab hujusmodi elegantiarum arbitris gratiam initurum confido, qui Pausaniæ emendando symbolam quoque contulerim. Is igitur græcanicus scriptor de athleticis viris verba faciens, qui victoriæ laudem in olympiacis certaminibus fuerant consequuti, hæc profert : Ἄστυλος δὲ Κροτωνιάτης Πυθαγόρου μεν ἐστιν ἔργον. Τρεῖς δὲ ἐφεξῆς ὀλυμπιάδας σταδίου τὲ καὶ διαύλου νίκας ἔχει ὅτι δὲ εν δύο

[15] De quo ita Barrius : » Fuit et Pythagoras graecis literis eruditus statuarius, et fictor clarissimus, qui primus statuarum proportionem cousideravit. Floruit, ait Laertius, tempore Pythagorae philosophi, et primus numerorum ac modorum repertor fuit. Qui, ut Pausanias in Eliacis prodit, discipulus fuit Clearchi regini in plastica arte celebris, ut si quis alius, idest fictor. Fecit imaginem Astyli, quam stadio dromostylon vocant. Fecit in Olympia statuam Mnasci cursoris, cognomento Lybin. Fecit statuam Euthymi, et Leontisci cujusdam. Fecit, ut idem Pausanias in Phocaicis scribit, in Olympia statuam Protolii Mantinei athletae, qui pueros in pugilatu vicit. Fecit Tarenti ex aere egregiam imaginem tauri exportantis Europam Agenoris filiam ex Phoenice, ut Varro linguae latinae lib. 34 inquit: Pythagoras reginus statuarius vicit Myronem diligentissimum statuarium panchratiaste Delphis posito. Licet ipse primus multiplicasse varietatem videtur, numerosior in arte, quam Polycletus, et symmetra diligentior. Fuit, ait idem Plinius olympiade LXXXVII, circiter urbis annum 316 ».

ταῖς ὑστέραις, ἐς χαρίν τοὺ Ἱέρωνος τοὺ Δεινομενοὺ, ἀνηγόρευσεν ἑαυτὸν Συρακούσιον, τούτου εἵνεκα οἱ Κροτωνιάται τὴν οἰκίαν αὐτοῦ δεσμωτήριον εἶναι κατέγνωσαν, καὶ τὴν εἰκονα καθεῖλον παρά τῇ Ἥρα τῇ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΑ κειμενην. Idest : » Astylus autem Crotoniata, Pythagoræ opus fuit. Is olympiacas deinceps tres decursu repetito palmas tulit. Et hujus quidem, quod Hieronis Dinomenis filii studio ductus, syracusanum se renunciandum curasset in posterioribus duabus victoriis, infamiæ causa, domum Crotoniatæ ad publici carceris usum destinaverunt, et statuam in *lacædemoniæ Junonis* templo dedicatam everterunt. » (16)

Quæ quidem legenti incredibile videri debet, Pausaniam, qui topographicis nominibus scite, et cum delectu usus est, quemque adeo Xylander *optimum onomasticon* appellavit, Lacædemoniam Junonem pro Lacinia adscripsisse. Quid vero? Num quis Astyli statuam Lacædemonem a Crotoniatis delatam censebit, ut in Junonis æde nescio qua ibidem posita collocaretur, quum iidem domi fanum ejusdem divæ haberent; tanta celebritate et fama, ut nil supra dici possit? Equidem crediderim, si de Olympico, del-

[16] Adi Pausaniam in Eliac. Poster. lib. VI. fol. 366 edit. Rom. Amasaci, quam habeo ad manus.

phico, aliisve toto orbe celeberrimis fanis sermo esset, minime vero de spartano illo, quod fuisse quidem apud Lacædemonios, at certe inglorium, seu penitus obscuri nominis in dubium revocari nequit (17). Flos in sua Calabria sacra eo devenit, ut opinetur, bina Junoni a Crotoniensibus templa ædificata, alterum in promontorio lacinio, in quo inlustrando tota hæc nostra versatur oratio, alterum vero in ipsa urbe, cujus cæteroqui nemo alius, quod sciam, meminit, nec vero Floris auctoritas in hisce rebus tanti habenda est, ut duas Junonis ædes admittere nos impellat. Itaque ei loco mendum subesse librariorum inscitiæ unice tribuendum res per se ipsa clamat, quibus pro Λακινία voce, Λακεδαιμονία per quam pronum fuit intrudere.

Jam vero de Laciniæ templo adjicere non pigebit, magnos quandoque viros et heroas, ejus visendi gratia, Græciæ Magnæ regiones adiisse. Patet e Lycophrone, Troja excisa, Menelaum, Achillem, aliosque Danaum ductores munera in hoc ipso fano obtulisse deæ; quos inter et ipse trojanus Æneas, rem indicante Dionysio, pateram Junoni consecravit, græca epigraphe inscriptam, in hanc ferme sententiam: » Æneas in templo Junonis pateram æneam reliquit ».

(17) Fuit Lacaedemone Junonis cognomento Argivae templum in ea regione, quam *cinosurorum* tribus obtinebat.

At nemo diutius per has regiones versatus est, quam Hannibal Carthaginiensis, dum in Italia, bellum cum populo romano gerens, morabatur. Huc legatos ad eum misit Philippus Macedonum rex, anno U. C. 537, sicuti Livius testatur : (XXIII. 33.) » Postquam tertia jam pugna, tertia victoria cum Pœnis erat, ad fortunam inclinavit, legatosque ad Hannibalem misit: qui vitantes portus brundusinum, tarentinumque, quia custodiis navium romanarum tenebantur, ad *laciniæ Junonis templum* in terram egressi sunt. » Et in eodem libro, cap. 34: » Missique cum iis ad regis ipsius firmandam fidem legati Gisgo, et Bostor, et Mago, eodem ad *Junonis laciniæ*, ubi navis occulta in statione erat, perveniunt. » Tum anno post conditam urbem 544: » Ea omissa oppugnatio est, quia *lacinium* Hannibal admoverat copias. » (XXXVI. 42.) Præterea idem Pœnus dux, anno 547, monente eodem historiographo, (XXVIII, 46) » Propter *Junonis laciniæ templum* æstatem egit ; ibique aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, punicis græcisque literis insculpto. » Quem quidem titulum Polybius legisse testatur, cum levissima quæque de copiis ab Hannibale in Hispania relictis persequutus, (lib. III. Hist.) subdit statim: » Nec admirari quispiam debet, si non minori diligentia hæc a nobis memorantur, quam si ab imperatore exercitus

census militum fieret; neque nobis succensere quod mendacium instar, minuta quædam ac levia sectemur quo facilius scriptis nostris adhibeatur fides. Nos enim quum apud *Lacinium* tabulam æneam conspexissemus, in qua hujusmodi descriptio erat, positam in eo loco ab Hannibale, quo tempore per Italiam grassabatur, adhibendam ei omni ex parte fidem duximus, ideoque hanc fuimus in præsentia sequuti » (18). Ad Lacinium postremo, uti sæpe laudatus patavinus docet historicus, Cajus Livius præfectus romanæ classis, quum ab Reginis, Locrisque, et ejusdem juris sociis debitas exegisset naves, classem lustravit, anno ab Urbe condita 561. (XXXVI. 42.)

V. Verum sequiore ætate non unum huic fano illatum detrimentum. Novum prorsus ac singulare videtur, quod anno DLXXIX accepit a Q. Fulvio Flacco, cujus uxor erat Sulpitia illa, quæ ut Nasica, judicio senatus, omnium optimus, sic matronarum sen-

(18) Polybius Hist. lib. III. ex versione Nicolai Perotti — Livius *aram* habet, Polybius *tabulam*, at Plutarchus *arcum* ab duce poeno conditum diserte asseverat, hoc pacto: » Memoriae quoque proditum est, eum priusquam classem conscenderet, prope Junonis Laciniae templum arcum condidisse, punicis graecisque literis insculptum, in quo res ab se magnifice gestae summatim continebantur. » Plut. in Hanib. Donato Acciajolo interprete — At ut ingenue fateamur, haec quidem verba a Perotto, et Acciajolo perperam latine reddita videntur.

tentia, omnium castissima judicata fuit. Is igitur proprætor in Hispania celtiberico bello, templum vovit Equestri Fortunæ, quod mox consul locandum curavit, censorque annis sex postquam voverat, dedicavit· Romæ hæc Fortuna insidens equo pingebatur, ejusdemque templum eruitur e Vitruvio ad theatrum lapideum exstitisse (19), quod nonulli theatrum Pompei fuisse contendunt, alii vero Balbi, vel amphitheatrum Tauri, impolitiore opere facta; id enim significare videtur *lapideum*; theatrum autem aliquando pro amphitheatro usurpant veteres. Quæ cum sic habeant, nescio quid sibi velit Tacitus in tertio Annalium, ubi legimus: » Religionem incessisse quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites romani voverant Equestri Fortunæ. Nam etsi delubra ejus deæ multa in urbe; nullum tamen tali cognomento erat. » Mirum! Nam præter Livium, et Valerium Maximum, hanc ædem memorat Julius Obsequens, quum ait: » Cajo Claudio, M. Perpenna coss. bubo in æde Fortunæ Equestris comprehensus inter manus expiravit. » Quod si tamen libet suspicari cum Lipsio incendio fuisse consumptam, næ P. Victor obstabit, qui eam collocat in regione IX Urbis, suo etiam ævo. Huic dubitationi obviam eundum rati, *Se-*

[19] Donatus — Roma vetus ac recens, fol. 276.

questrem Fortunam nonulli legebant, quod arrisit Freinshemio, Philippo a Turre in mon. vet. Ant. cap. I, et Nardino, de vet. U. R. VI. 3. Ast objici potest, sequestris Fortunæ nullam apud veteres mentionem injectam: contra, marmor, in quo: *Fortunæ equestris*, apud Gruterum p. 75 n.° 4 tum aliud apud Muratorium T. I. p. 81. n.° 5. exstare. Cæterum Sequestrem præferunt Ryckius, et Lallemand; quin opinatur Broterius Fortunæ Equestris templum, quod in regione IX fuerat, postea in VII fuisse structum, quippe habet P. Victor in hac regione: » templum novum Fortunæ » — Fulvius igitur, ut ad rem propositam redeamus, nihil habuit antiquius quam, ut Equestris fanum Fortunæ, cætera omnia, quæ tunc in urbe erant, magnificentia, atque amplitudine anteiret. Quare magni aliquid se præstiturum ratus, si tegulæ e marmore imponerentur (20); profectus in Bruttios, Laciniæ Junonis ædem tegulis marmoreis ad partem dimidiam spoliavit. Fulvii facinus in mentem revocat Tullianum illud festivo dictum de Pompejo: » De isto licet bene speres: promitto tibi si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. » Id igitur ipse

[20] Marmoreis etiam tegulis superne contectum Jovis Olympii fanum perhibet Pausanias V. 10. Illud vero mirum, quod tradit Polybius: Ecbatanis in Medorum regia, tegulas argenteas κεραμιδας αργυρας extitisse.

*

præstitit, quod cuidam Junonis templo prope Sicyonem contigisse palam fit e Pausania(II. in Corinth), cum signo scilicet deæ, laquear etiam superimpositum amisisse: ναος Ἥρας οὐκ ἔχων ἔτι οὔτε ἄγαλμα, οὔτε ὄροφον. Jamque Fulvius tegulas in naves imposuerat, perterritis Crotoniatis populi romani sociis auctoritate censoria id sacrilegium prohibere: mox urbem regressus, inferri in templum propere jussit, sperans fore ut quo ex loco abstulisset, nemo propemodum agnosceret. Cum id minus contigeret, atrox visum id facinus, et fremitus in ipsa curia ortus est: patres postulare, ut de eo negotio consules ad senatum referrent. Postquam vero Fulvius curiam ingressus est, singuli universique præsentem lacerare cœperunt (Liv. XLII 3.) » Templum augustissimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Hannibal violassent (21), violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. Censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exi-

[21] Heic Livius causae servit, ut dicitur, oratorum more: templum enim ab Hannibale violatum fuisse, an. urbis 549 ipsemet testatus erat scriptor, per haec verba: » Quod roboris in exercitu erat in Africam transvexit, multis italici generis, quia in Africam sequuturos abnuentes, concesserant in Junonis Laciniae delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipso foede interfectis » lib. XXX. 20.

gere sacris publicis, et loca tuenda, more majorum, traditum esset, cum per sociorum urbes, diruentem templa, nudantemque tecta ædium sacrarum vagari, et quod si in privatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id Deum immortalium templa demolientem facere, et obstringere religione populum romanum, ruinis templorum templa ædificantem; tanquam non iidem ubique dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique. » Relatione per consules facta, senatus ingenti omnium clamore atque assensu tegulas reportandas decrevit, utique in templo Laciniæ Junonis piacularia fierent. Id omne sedulo peractum, nisi quod tegulas in area templi relictas fuisse legimus, siquidem ea olim fuerit in hisce componendis græcorum artificum industria, ut redemptores romani reponendarum rationem invenire non potuerint. (22)

Ejus rei fama varie homines affecit: rumor manavit, Fulvium exinde memori Junonis ira, non bene mentis compotem extitisse, immo anno urbis 580, a servis, qui ejusdem cubiculum forte ingressi erant, laqueo dependentem fuisse repertum. Ita Lactantius

[22] Haec omnia ita paucis in Liviana Epitome memorantur: » Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem quam dedicabat tegeret. Tegulae ex senatus consulto reportatae. » Lib. XLII.

in libro II. 7. Div. Inst. pluribus de sacrilegis allatis exemplis, hoc etiam attexuit. (23) » Fulvius quum ex Junonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ fecerat, tegeret; et mente captus est, et amissis duobus filiis in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus est. » Quo spectat locus Valerii Max. I. 20. » Quintus autem Fulvius Flaccus impune non tulit, quod in censura tegulas marmoreas ex Junonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constitisse, quin etiam per summam ægritudinem animi expiravit: quum ex duobus filiis in Illyrico militantibus alterum decessisse, alterum graviter audisset affectum, cujus casu motus senatus, tegulas *Locros* reportandas curat, decretique circumspectissima sanctitate impium opus censoris retexuit » (24) Adhæc, ut reliqua enarrem templi detri-

[23] Adverte, lector, ita haec et similia prodigia a Lactantio memorari, in lib. II. Div. Inst. quasi commenta, et fabellas ethnicorum, quae ne refutandi quidem officium postulent. Puderet enim me verbis magni illius ecclesiae patris, ad veterum superstitionem confirmandam uti.

[24] Rem paullo aliter narrat Livius, lib. XLII. 28. » Eo anno [ante Chr. 172, U. C. 580] sacerdotes publici mortui, L. Æmilius Papus decemvir sacrorum, et Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor; hic foeda morte periit. Ex duobus filiis

menta, non minimum illud est, quod a piratis accepit, anno ante Christum LXVII, conditæ urbis DCLXXXV, quo ferme tempore ingens illa flagitiosorum hominum multitudo per maria versabatur, oppidaque plus minus quadrigenta cœperat. Tum omnes fere celeberrimæ deorum ædes profanatæ ac direptæ sunt: Colophone capta, Clarium, Didymæum apud Milesios, et in Samothrace Castorum, et juxta Hermionem in Peloponneso Chthoniæ Cereris fanum, et Æsculapii templum ad Epidaurum; tria quoque Neptuni, Jsthmicum, Tænarium, et quod erat in Caulonia; duo Apollinis, alterum Actii, alterum Leucade; tria Junonis, Samium, ipsa quoque urbe capta, Argivum, et nostrum, quo de agimus Lacinium. (25) Tertiam fani hujus direptionem memorat Appianus Bel. Civ. V., scribens: Sextum Pompejum, Messanæ suorum fidei diffisum,

ejus, qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum, alterum decessisse, alterum gravi, et periculoso morbo aegrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio post censuram minus compotem fuisse sui: vulgo Junonis Laciniae iram ob spoliatum templum, alienasse mentem ferebant. » Caeterum modo prolatis Valerii Max. verbis, ubi *Locros* habet, pro Crotone, deceptus Oliverius Arzigarensis in notis ad eumdem scriptorem, errat toto coelo, scribens: constare, Lacinium promontorium in locrensi olim fuisse regione!!

[25] Vide Cic. pro lege Manil. cap. 12 Paus. II. Arnob. lib. VI— Observandum heic autem se se dat, mendose apud Plutarchum, edit. Basileae, an 1542, fol. 243, legi » *et Lucaniá Juno-*

per altum vela fecisse, atque Italiæ oris prætervectis, Laciniæ Junonis delubrum obiter spoliasse. His ergo, sexcentisque aliis affectum injuriis, haud mirum si ab antiqua majestate paulatim deciderit, cuius rei satis luculentum indicium dedit Strabo, qui floruit imperante Augusto, anno Chr. XXV, sub Tiberio extinctus, dum, lib. VI. p. 401, templum superiori ætate locupletissimum dixit. Neque ambigitur, quin tecto nudato, ædem in deterius ruere necesse fuerit; adde infensa artibus tempora barbarorum incursionibus, et crebris motibus terræ, quibus regio hæc nostra, pessimo fato, continuis vicibus agitata.

VI. Hujus magnificentissimi templi ruinas descripsit Riedeselius, perelegantis ingenii vir, qui anno 1767, ad Siciliæ, et Magnæ Greciæ perlustrandas antiquitates, iter ingressus est, neque multo post opus de hoc literario excursu gallice scriptum Tiguri evulgavit: optandum sane esset, ut minus sedulum in persequendis levissimis rebus se præbuisset! Is igitur extantem adhuc parietum partem deprehendit, quæ ad

nis, τω εν Σαμω, τω επι Αργει. τω επι Λευκανιω etc. quod etiam animadversum est a Pascali Magnonio, in sua: *Lettera al Barone Antonini* p. 29, ubi ita insit. E poi chi ci assicura, che Plutarco parli ivi del tempio di Giunone Argiva, e non di quello di Giunone Lacinia, che era assai più celebre e ricco ... Vide fatum Laciniae Junonis modo in Lacaedemoniam, modo in Lucaniam conversae!!

sacrae aedis alam (italice : *nave del tempio*) pertinuit. E peristylio autem, seu circumeunte columnarum serie, una tantum inventa, opere dorico antiquo, uti appellant architecti, elaborata, quae singulare quiddam habuit : namque et exigua admodum prae ingenti fani amplitudine visa est, et viginti duntaxat *striaturas*, non ut reliquae ejusdem dorici ordinis columnae, unam et viginti prae se ferebat. Porro delubri pavimentum nequiit observari, egesta in altitudinem terra eo ferme tempore, quo gradus templi lateribus adhaerentes foede revulsos placuit amoveri, ut in novi crotoniensis portus molitione, cui tum cives enixe incumbebant, adhiberentur. Quod quum aegre admodum ferret vir eruditus, atque architecto, qui laboribus praeerat, succenseret, hoc sibi responsum habuisse fatetur : in *postici* vestigiis sat superque graduum conspici, proinde, quidquid caeteris adversi inciderit, suam templo pulchritudinem constare. O hominis amentiam! Et indignamur Vandalos, Saracenos, et si quas alias pestes hic debacchatas accepimus, tantum Italiae vastitatis attulisse, quum infestior, ita dixerim, nostratium incuria fere bonis artibus acciderit. Attamen, ut elucet e Calabr. Inl. Tom. I. 26, Flos aevo suo duas ex hisce columnis of-

fenderat, quas Pythagoricae Scholae, quae Crotone olim celebrabatur, imperite admodum attribuit. Unde cecinit Granus: (Franc. Gran. de situ, laudibusq. Calabr.)

. . .

Praesertim celebris, qua est diva Lacinia, sacri
Pythagorae geminae servantur honore columnae.
Diruta templa jacent Junonis tempore victa
Sed priscas vires ostendunt moenia fracta.

Verum error hujusmodi ex eo certe manavit, quod aream laciniae aedis, quae latius olim patebat, nostri nuperae aetatis scriptores contractiore ambitu concluserint; inde factum ut parietum quaedam pars, quae ad Junonium delubrum indubie pertinuit, veluti ab ipso sejuncta, pro nescio quo aedificio credita fuerit, quod Acetus in not. ad Barr, Pytagoricae Scholae appellatione designandum divinabat.

Vix decem elapsis annis a Riedeselii peregrinatione (1777), ecce Swinburnius domo britannus Crotonem se contulit fanum Laciniae contemplaturus, licet ad interiorem ejusdem notitiam minimum adjumenti ex celeberrimi viri investigationibus contigisse rear. Quas enim partes Riedeselius oculis perlustraverat, ac non minus ac-

curate descripserat, eaedem fere universae Swinburnio observandas sese obtulere: quadrati nempe lapides, vetustaeque fabricae reliquiae, adhaec binae columnae, quarum *striaturas* vis marini salis eroserat, altera solo aequata, stans altera; integra basi, latisque capitulis ex doricae structurae genere, unde templi originem vetustissimis temporibus non immerito astruit vir doctus, quanquam inspectis identidem lateritiis parietibus, opus ad Romanorum aevum referendum censuerit, per quos templi molem refectam exposuimus (26).

[26] Swinburn. Voyag. pag. 291. — Postremo haud mihi reticebitur Dominicus Romanellius, qui in eximio opere: Antica Topografia istorica del Regno di Napoli — plura de hoc templo congessit. Apud eumdem legisse memini quod de Crotoniensibus matronis Lycophron olim tradiderat; solemne scilicet eis fuisse quotannis ad Achillis mortem lugendam in Junonis fanum convenire, quo doloris simul et obsequii ederent testimonium. Praeterea nonnlla habet de purpurea illa veste, quam Alcisthenes Sybarita in Laciniae templo spectandam proposuerat, tam nobili artificio elaborata ut plumis versicoloribus intextis Sybariticae urbis imaginem referret. Audi Athenaeum: « Scribit Aristoteles in delitiarum admirabilibus, Alcisthenem Sybaritam hujusmodi magnificentiae vestem ob delitias comparasse, ut in Lacinio in Junonis congressibus poneretur, ad quos Itali omnes conveniebant: atque omnibus ostensis sola illa admiratione digna judicabatur: quam quum haberet senior Dionysius pro centum

Quae de praesenti ruderum statu dicenda supersunt paucis complectar ; longe enim deterior dirutae molis facies nihil habet, quod oculos devinciat exterorum. Cernere licet congestas passim parietum ruinas , ac fundamentorum per templi ambitum vestigia , ubi quum ad vineam conserendam effossiones a privatis hominibus agerentur , vix unus aut alter nummulus inventus. Porro qua parte templum jonium mare prospectat , ingens illa per nos saepe memorata columna hodieque

et viginti talentis Carthaginiensibus tradidit. Testatur hoc ipsum Polemon in libro de Peplis in Carthagine inscripto » [Athen. Dipn. lib. XII 19. ex vers. Nat.de Comitibus]. Tum Aristotelem: » Alcisthenes Sybarita miro sumptu clamydem confecisse , exornasseque legitur, ac eam in Crotonis promontorio ad Junonis nundinas praeposuisse, ad quas universae Italiae indigenae confluunt; caeterum praeter omnia, quae ibi mira videntur , hoc incredibili admiratione Italos maxime detinuit : illamque in suam potestatem Dionysius senior redegit, qui hanc Carthaginiensibus centum vigintiquinque talentorum pretio vendidit. Colore quidem purpurea erat, amplitudine vero ulnarum quindecim: undique autem minutis animalibus velabatur intextis : desuper quidem Susae , deorsum autem Persae oppida inserta : in medio vero Jupiter, Juno, Diana, Minerva, Apollo, Venus inaderant: in utroque autem extremo Alcisthenes inerat , utrimque vero Sybaris ipsa eminebat « [Arist. de Adm. audit, Dom. Montesauro interprete, n. 92] — De nobili hac veste confer etiam : Tzez. Chil, 1. v. 812, et Chil. IV. v. 493 , Barrium V. 9. Textor. in offic. et Nolam Molisium in Croton. Chronic.

attollitur, immani basi superposita, quam e variis fragmentis cujusdam lapidis (italis *piperno*) simul coagmentatis constare animadvertimus : nunc tantum

. . . signum nautis . . unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus (Virg. Æn. V.)

Atque ab his quidem pylis, quarum permultae vetustate collapsae, et marinis fluctibus absorptae tranquillo duntaxat mari conspiciuntur, autumant viri docti (27) lacinium promontorium, *Capo delle colonne*, hodie nuncupari, vernaculo sermone *Capo Nao*, nomen enim ipsum ναος graece templum sonat; quo ferme pacto vel in Atticae regionibus Sunnium promontorium *Capo delle colonne* apud geographos audit, ab septemdecim veteris templi Minervae antiquitus sacri prostantibus pylis (28). Caeterum superioribus saeculis nostrae hujus laciniae aedis columnas Crotonem delatas, majoris Ecclesiae exornandae gratia, certo scitur.

FINIS.

[27] Freinshem: in suppl. Liv. Ernesti in Cic. Flos Cal. Inl. Leand. Albert. in Ital. descript. aliique passim.

[28] Le Roy: Ruin. des plus beaux monum. de la Grèce, T. I,

MONITUM.

Vides in operis fronte bina optimae notae numismata ad Laciniam Junonem pertinentia: quae vero pag. 19 hujus libelli memorantur satius duximus expungenda, utpote minime genuina, sed a Flore, et Marafiotio suo more conficta, sublestae fidei scriptoribus ac numismaticae rei plane rudibus.

Adhaec operarum vitio factum est, ut graecae praesertim dictiones erroribus scateant, quos erudito lectori corrigendos relinquimus.

